



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Svpplementvm Tertiæ Partis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romæ, 1619**

Vtrum non sacerdotes excommunicare possint? 2

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38817**

hoc à quibusdam distinguitur, quòd est clavis ordinis, quam omnes sacerdotes habent; & clavis iurisdictionis in foro iudiciali, quam habent soli iudices exterioris fori. Vtramque tamen Deus Petro contulit, Matth. 16. & ab ipso in alios descendit, qui utramque habent.

Ad secundum dicendum, quòd sacerdotes parochiales habent quidem iurisdictionem in subditos suos quantum ad forum conscientie, sed non quantum ad forum iudiciale, quia non possunt conveniri coram eis in causis contentiosis: & ideò excommunicare non possunt, sed absolvere possunt in foro penitentiali. Et quamvis forum penitentiale sit dignius, tamen in foro iudiciali maior solemnitas requiritur: quia in eo oportet, quòd non solum Deo, sed etiam homini satisfiat.

ARTIC. II.

*Utrum non sacerdotes excommunicare possint?*

86

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quòd non sacerdotes excommunicare non possint. Quia excommunicatio est actus clavium, ut in 4. Sententiarum dicitur †. Sed non sacerdotes non habent claves\*. Ergo excommunicare non possunt.

† lib. 4.  
d. 19. § G

¶ 2. Præterea, Plus requiritur ad excommunicationem, quam ad absolutionem in foro penitentie. Sed non sacerdos in foro penitentie absolvere non potest. Ergo nec excommunicationem inferre.

\* ut d. 11.  
est supra  
q. 19. ar.  
3. & 4.

SED contra est, quòd Archidiaconi, Legati, & Electi excommunicant: qui quandoque non sunt sacerdotes. Ergo non solum sacerdotes excommunicare possunt\*.

\* ut etiam  
distū est  
q. 16. ar.  
3. cor.

RESPONDEO dicendum, quòd sacramenta in quibus gratia confertur, dispensare, ad solos sacerdotes pertinet: & ideò ipsi soli possunt absolvere, & ligare in foro penitentiali. Sed excommunicatio non directe respicit gratiam: sed ex consequenti, in quantum homo suffragijs Ecclesie privatur, quæ ad gratiam disponunt, vel in gratia conservant\*. & ideò etiam

\* 4. Sent.  
d. 18. § G  
in fin.

etiam non sacerdotes, dummodo iurisdictionem habeant in foro contentioso, possunt excommunicare.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis non habeant clauem ordinis, habent tamen clauem iurisdictionis.

Ad secundum dicendum, quod ista duo se habent sicut excedentia & excessa. Et ideo alicui competit vnum, cui non competit aliud.

## ARTIC. III.

*Vtrum excommunicatus vel suspensus possit alium excommunicare?*

87

**A**D tertium sic proceditur. Videtur, quod excommunicatus vel suspensus possit alium excommunicare. Ille enim qui est excommunicatus vel suspensus, neque ordinem, neque iurisdictionem amittit: quia neque reordinatur cum absoluitur, neque cura iterum ei committitur. Sed excommunicatio non requirit nisi ordinem vel iurisdictionem. Ergo etiam excommunicatus vel suspensus excommunicare potest.

¶ 2 Præterea, Maius est conficere corpus Christi, quam excommunicare. Sed excommunicari conficere possunt. Ergo & excommunicare possunt.

† rtho. 4

d. 13. q. 1

ar. 1. q. 3.

q. 3. p. 9.

82. ar. 7.

24. q. 1.

c. 4.

**S**ED contra, Ligatus corporaliter, non potest alium ligare. Sed vinculum spirituale est fortius, quam corporale. Ergo excommunicatus non potest alium excommunicare: cum excommunicatio sit vinculum spirituale.

**R**ESPONDEO dicendum, quod vsus iurisdictionis est in comparatione ad alium hominem: & ideo cum omnis excommunicatus à communione fidelium separetur, quilibet excommunicatus vsu iurisdictionis priuatur; & quia excommunicatio est iurisdictionis, ideo excommunicatus excommunicare non potest: & eadem ratio est de suspensio à iurisdictione. Si enim sit suspensus ab ordine tantum, tunc non potest ea quæ sunt ordinis; sed potest ea quæ sunt iurisdictionis: & e contra, si sit suspensus à iurisdictione.